VALERIUS MAXIMUS. VEGETIUS

um 1400/1404 (Wasserzeichenbefund) Seite 37v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=956
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Incipit liber tercius capitulum primum De indole. ii. De fortitudine. iii. De paciencia. iiii. Qui humili loco nati clari euaserunt. v. Qui a parentibus claris degenerauerint. vi. Qui ex illustribus viris in veste que in cetero cultu sibi licencius quam mos patrius permittebat indulserint. vii. De fiducia sui. viii. De constancia

ix deficit hic

De indole capitulum primum

I Attingam igitur cunabula quedam et alia virtutis que processu tempore ad summum glorie culmen perventuri certo cum indolis experimento dato gestus referam. Emilius Lepidus puer etiam progressus in aciem hostem interemit civem seruauit cuius tam memorabilis operis index in capitolio statua bullata et incincta pretexta senatus consulto posita est iniquum enim putauit eius honori nondum tempestiuum videri qui iam virtuti maturus fuisset. Precucurrit igitur Lepidus etatis stabilimentum fortiter faciendi celeritate duplicemque laudem e prelio retulit cuius vix spectatorem anni eius capiebant. Arma enim infesta et districti gladii et diuersus telorum adventantium equitatusque fragor et concursus cum exercituum impetus iuuenibus quoque aliquantum terroris incutit. Inter que gentis Emilie pueritia coronam mereri spolia rapere valuit. Hic spiritus ne M. Catonis quidem pueritie defuit. Nam cum in domo M. Drusi auunculi sui educaretur et ad eum tribunum plebis Latini de ciuitate impetranda conuenissent a Q. Popedio Latinorum principe Drusi autem hospite rogatus ut socios apud auunculum iuuaret constanti vultu non facturum se respondit. Iterum deinde ac sepius interpellatus in proposito perstitit. Tunc Popedius in excelsam edium partem leuatum abiecturum inde se nisi precibus

al' ideo

Nondum pretexta ergo vestis qua nobiles pueri Romanorum vtebantur usque ad XV annos quamdiu sub disciplina erant, nam postea virili toga vtebantur

al' timorem

tunc plebis